

Falso accusantur nostri, quod bona opera prohibeant. Nam scripta eorum quæ extant de decem præceptis, & alia simili argumento testantur, quod utiliter docuerint de omnibus vitæ generibus & officijs, quæ genera vitæ, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant. De quibus rebus olim parum docebant Concionatores, tantum puerilia & non necessaria opera urgebant, vt certas ferias, certa ieiunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, rosaria, monachatum & similia. Hæc aduersarij nostri admoniti nunc dediscunt, nec perinde prædicant hæc inutilia opera, vt olim. Preterea incipiunt fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat silentium. Docent nos non tantum operibus iustificari, sed coniungunt fidem & opera, & dicunt nos fide & operibus iustificari. Quæ doctrina tolerabilior est priore, & plus afferre potest consolationis quam vetus ipsorum doctrina.

Cum igitur doctrina de fide, quam oportet in Ecclesia præcipuam esse, tam diu iacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes necesse est, de fidei iusticia altissimum silentium fuisse in concionibus, tantum doctrinam operum versatam esse in ecclesijs, nostri de fide sic admonuerunt Ecclesias.

Principio, quod opera nostra non possint reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum & gratiam & iustificationem, sed hanc tantum fide consequimur, credentes quod propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est mediator & propiciatorium, per quem reconcilietur pater. Itaque  
qui confidit